

www.e-rara.ch

Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...

Humel, Johann Henrich

Tiguri, 1670

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Sermo CXXXVII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

spicitur, cessat amicitia, 2. Reg. 10: 11. ubi vera communio, ibi corda debent esse sincera, & cum talibus amicitiam inire possumus semper duraturam, &c.

Hic quæstio posset inferi: *An liceat fœdera cum extraneis idololatriæ paugere?* v. g. cum Rege Galliæ, cujus fœdus exspirat. Politici aures quidem avertunt, si nos è Cathedra hujusmodi tractamus, existimantes nos falcem velle immittere in alienam messem. Absit! Sed os Domini etiam locum habet in hisce; potest quidem Magistratus leges condere, sed secundum Dei legem, &c.

SERMO CXXXVII.

Textus idem, Philem. v. 17.

Exordium ex Eph. 5: 5.

U S U S II.
Hofes ami-
citiæ varii.

II. **R**Eperiuntur verò hodie, quibus dicta amicitia & communio non placet, quæ Christum & Deum pro fundamento habet; sed talem quærunt communionem, quæ in Mammona & privato commo fundatur, quærentes alios destruere ac seipsos extollere, de quibus Apostolus Phil. 2: 4, 20, 21. Et tales distinguuntur in tria genera.

1. Sunt, qui omnem bonam & utilem communionem averfantur, & verbis ac factis proverbium Judaicum expriment *שלי שלי שלך שלי* *Quod meum est meum est, quod tuum est tuum est*, id est, retinebo meum, retineat suum alius; nihil petam à proximo, & ipse nihil à me petat; nihil dabo, nihil accipiam, &c.

2. Sunt, qui non meliores, sed multò deteriores, in quorum animis hic latet sermo; *שלי שלי שלך שלי* *Quod meum est meum est, quod tuum est meum etiam fiet*: quod habeo retinebo, sed nondum fatur sum, etiam conabor facere meum, quod proximus habet.

3. Sunt denique qui volunt, *שלי שלי שלך שלי* *quod meum est tuum est, at hac conditione, ut quod tuum etiam meum sit*, non aliter; tales contenti sunt suum in commune conferre, at ita, ut idem ab aliis accipiant; nil ex suo elargiri volunt, nisi cum certa retributionis spe.

At cum hisce omnibus nondum locum habet vera charitas & communio, de qua nos hoc loco; Spiritus communionis, qui in Paulo erga Philemonem, nondum in ipsis, vincula antedicta absunt, &c. Siquidem omnes adhuc privatum commodum quærant, non etiam quæ sunt aliorum, Phil. 2: 21. Ubi vera charitas, ibi longè alia mens est, secundum illud 1. Cor. 13: Verus amor nihil sperans dat, ubi necessitas postulat, memor compensationis cœlestis, de

qua Luc. 14: 12. seqq. Si velimus inter se conferre homines primi, secundi & tertii generis, certum est ultimos esse optimos, sed in eo deficient, quòd ipsorum amicitia & communio non est libera, sed mercenaria, quæ non nisi terrenam mercedem respicit; primi verò sunt amore vacui, ut qui nullam hominum volunt societatem, nemini quidquam dant, nec ab ullo quidquam acceptant. Secundi verò sunt pessimi, ut qui nullam conscientiam omnimodo & mediis proximi bona ad se transferre student, nocteque dieque in id incumbunt, ut sua promovere possint, etsi pauper proximus vel sanguinem propterea sudare cogatur. Tales homines inter nos gravissimè peccant,

1. *Contra Deum*, crassissimam ingratitude, utpote qui non agnoscunt, quòd à Deo quæ habent acceperint, 1. Cor. 4: 7. & quòd non nisi bonorum istorum sint Oeconomi & dispensatores.

2. *Contra proximum*, in justitiâ, utpote qui ei denegant, ad quod dandum obstricti sunt.

3. *Contra se* crudelitate, utpote qui sibi ipsis negant communionem ac amicitiam aliorum, cum tamen amicus in periculo frater sit, & talia præstare possit, quæ ad nostri conservacionem faciunt. Crudelis verò hæc inhumanitas, quæ hoc tempore nimis communis, omnis ex auri sacra fame profluit, quam Apostolus non sine causa idololatriam vocat: sunt enim verè idololatræ, utpote qui ex auro suo & argento sibi idolum faciunt, cui inserviunt, prout idolo suo idololatra, sic Mammoni suo servit avarus; & prout ille spem suam in idolo, sic iste in thesauris suis collocat; ille cavet, ne quis idolum suum frangat vel suffuretur, prout fecit Laban; sic iste timeret ne quid deperdat de suis divitiis, &c. ut sic admonitio Apostolica valde sit necessaria, Col. 3: 5, 6. & 1. Tim. 6: 10. avaritiam vocat *radicem omnium malorum*; propriè loquendo hæc descriptio competit peccato originali, quod radix omnium malorum, quia ex illo omnia peccata actualia procedunt; interim Apostolus non injuriâ Avaritiam sic depinxit, nam ex ea tanquam matre veniunt crudelitas, injustitia, oppressio, fraus, ignorantia Dei, contemptus verbi & securitas carnalis, quæ negligit omnia media ad salutem perducentia. Ut inde manifestum sit, quàm graviter peccent, qui sine omni communiione vivunt, egentes non curant, cum fructum non vident ac emolumentum; optimè hinc Johannes 1. Epist. 3: 17.

Væ ergo omnibus, qui omnia ad se rapiunt, quibus proprii commodi studium & avaritia ut gangræna serpit, & omnia depascitur, nec cessat, usquedum lupi instar aliquid diripiat & deglutiat; in quibus ne mica quidem amoris, nec desiderium aliis benefaciendi, eosque in miseria sublevandi; quomodo tales misericordiam sperabunt apud Deum suum, qui planè nullam misericordiam exhibent, cum passim videant, im-

mitibus iudicium immisericordiæ esse paratum? Ergo ambulate sine avaritia, 1. Cor. 10: 23. seqq. Prov. 11: 24, 25. El. 58: 10, 11. Jer. 31: 12. &c.

Usus III.
Vitanda
societas im-
piorum.

III. Secundum hanc doctrinam etiam abnegare debemus omnem impiam communionem, nec optare, ut eorum simus confortes, momente Paulo, Eph. 5: 11. quæ enim hic communio? 2. Cor. 6: 14. Non possumus esse in communionem sanctorum & porcorum simul, Christi & Belialis, cum primum nobis concessus est aditus ad societatem sanctorum, omnis societas reliqua deserenda est. Quam multi hodie eorum inter nos, quibus nulla molestior societas quam piorum? David Psal. 16: 1, 2. inquit, se gaudere piis, & Psal. 119: *Socius eorum sum, qui tui sunt socii*, & Psal. 119: 116. *Apagite vos, discedite impii*, sic Psal. 6: 9. Sed pauci sunt qui hoc spiritu Davidis agantur, qui delectentur piis, eos curent, & contra impiam societatem aspernentur. Tales magno numero reperiuntur, qui ore iactant communionem sanctorum, at si praxin spectemus, ipsis omnis societas perinde accepta, omnes socios agnoscunt, & eos maxime qui maxime mundani & impii, qui sunt lusores, contemptores, irrisores, calumniatores, &c. at venenum, quod inter tales inficiuntur, ipsis erit internecioni. Non sine causa Petrus Act. 2: 40. & Moses Num. 16: 21, 24, 26. Sic hodie, si videmus, ut filii huius seculi se insinuent in deteriorem communionem & societatem, cogitemus hos sese conjicere in præsentissimum periculum, tali in loco, ubi Dei honor laceratur, animæ perduntur, & alii inficiuntur; & si loca vitanda ubi tales sunt, quanto minus eorum communioni & societati nos adungere, & cum ipsis amicitiam contrahere debemus.

Usus IV.
Nos mutuo
amore ac
officiis pro-
sequamur.

IV. Si tam multiplex communio in omni benedictione nobis concessa est Dei bonitate, tum vi illius nos invicem amare & mutua officia præstare debemus, ac si unus essemus omnes, pro doctrina Prophetæ, Jer. 3: 23, 38, 39. & ex Apostoli monito, 1. Pet. 2: 17. & 3: 8. & 4: 8. & 5: 5. & Pauli Rom. 12: 9, 10, 13. Ex quibus patet, hanc communionem in multis præstandam, & dona quæ accepimus, vi huius communionis & amoris non ad nostram solum, sed ad totius Ecclesiæ salutem & commodum adhibenda, prout oculus in corpore non pro se solo, sed pro toto corpore videt, manus pro toto homine laborat, pedes totum hominem ferunt, &c. sic si veri sumus Christiani, etiam rationem habere debemus huius communionis; si nobis data est cognitio, alios docere debemus, ut & illi ad agnitionem veritatis perveniant; si consilium penes nos, aliis præire eosque dirigere debemus; si donum habemus exhortationis, dehortari debemus à vitiis & adhortari ad virtutes; si nobis divitiæ, hilariter communicare debemus, non solum ex iis, quibus superabunda-

mus, sed etiam efflagitante necessitate ex eo, quod ad nostram necessitatem spectare videtur. Singuli aliquid accepimus proximo communicandum, nemo se potest dicere vas vacuum, arborem mortuam, quæ non pro aliis fructum aliquem ferre queat; ut nobis excusatio eximatur, Deus omnibus aliquid concredit, uni unum, aliis plura talenta, Matth. 25. 1. Pet. 4: 10: *Copulati sumus in arctam societatem, ut quodque membrorum indigeat quoque alio; Manus non potest dicere ad pedem, non opus habeo auxilio tuo, &c.* Dives non potest vivere absque paupere, & viceversa: Pauperis est laborare in vocatione, divitis verò pauperem juvare & sublevare. Atque hæc est charitas illa laboriosa, quam Paulus in suis laudat 1. Thess. 1: 2, 3.

Insuper hanc communionem etiam exercere debemus in eo, ut nos invicem admoneamus, à peccatis dehortemur, ad bonum excitemus, & correctionem accipiamus, Gal. 4: 12. Licet severitate utar contra vos, dicere vult Apostolus, dum vos lapsu, ac peccatorum vestrorum admoneo, hoc tamen non fit animo maligno; ne cogitate me mutatum, ac si ex odio, non ex amore, agerem: minimè! Sum qui fui, videre ne vos mutemini: ne adversamini mihi, tolerate me objurgantem vos ex charitate, &c.

Denique hæc communio in nobis excitare debet sensum tam prosperitatis quam adversitatis fratrum in quavis conditione, ut *gaudeamus cum gaudentibus, lugeamus cum lugentibus*, Rom. 12: 15, 16. amare debemus absque dissimulatione, &c. esse unanimes, pariter affecti, Phil. 3: 16. talis affectio commendanda, asserit enim communionem vivam, & habet promissionem certam, Matth. 5: 7.

At ubi sunt viva huius communionis membra hisce diebus? Hodie dicitur, *prospiciat sibi quisque, & Deus omnibus*. Sunt qui proximum tractant, velut lanii boves & oves, modò emolumentum capere queant, non curant, etsi vitæ & sanguine priveretur; iis etiam similes sunt in eo, quod sicut oves & boves in forum aguntur, & emtori maximum precium offerenti conceduntur; sic multi tractant homines, monopolium cum eis exercent, eosque turpis lucri causâ dividunt. O quam multi inter nos volunt haberi pro sanis & vivis membris Jesu Christi, qui tamen obliviscuntur communionis quæ est inter membra ejusdem corporis! 1. Joh. 3: 17. & 4: 20. 2. Cor. 9: 7. Tantum abest ut gaudeant, si prosperè agunt alii, ut potiùs oculo invidio omnia aspiciant, lugeant; si adversa patiuntur, ut potiùs iis lætentur. At revera in huiusmodi hominibus non est verus amor Dei, nulla pietas, nulla misericordia; quale verò ejus iudicium sit destinatum, vide Jac. 2: 13. hi enim habebunt communionem nec cum Deo Patre, nec Filio, 1. Joh. 1: 7. Exerceamus igitur fructus charitatis inter nos invicem. Hebr. 10:

Simile;

24, 25. & fruemur fructibus charitatis Dei. Job nobis directiones præscribit Job 31: 16-25. & 29: 15, 16. Exemplum dignum nostra imitatione, speculum in quo nos examinare possumus, & inde sacræ hujus communionis praxin addiscere, ut charitas nostra mutua sit communionis vinculum, usquedum pervenimus ad Deum ipsum, qui ipsa est charitas, & qui in charitate habitat, habitat in Deo, & Deus in ipso, &c. cui laus, honos & gloria in sempiterna secula, Amen.

Textu, *ei δὲ 71, &c.* Quasi dicat: Dilecte Philemon, damnum quod tibi attulit, non tanti aestimare debes, ut inde bonum opus impediatur; equidem confiteor ipsum tibi injuriam & damnum attulisse; at ne ullo modo conversionis opus inde retardetur, ipse ego præsto sum, rem in me recepturus tanquam sponsor & debitor, mihi debitum imputa; Ego fidejubeo; sin minus verò hoc tibi sufficiat, en chirographum ad majorem fidem, quòd tibi satisfacere velim: Spero autem, adeò severum & rigidum te non futurum, utpote cujus causam non habes; si enim rationem es initurus, invenes, quantum tu mihi debeas, plus scilicet quàm Onesimus tibi, te ipsum quippe mihi debes, & ea quæ habes, instrumentum enim sum, quo Deus ad conversionem tuam usus est, unde mihi maximè es obligatus, &c. Sic ergo Apostolus in his verbis agit:

SERMO CXXXVIII.

Textus Philem. v. 18, 19.

EI δὲ πῆδίκησέ σε, ἢ ὀφείλει, τὸ σοῖ μοι ἐλλόγηι. Ἐγὼ Παῦλος ἐγραψα τῆ ἐμῆ χειρὶ, ἐγὼ ἀποτίσω· ἵνα μὴ λέγω σοι ὅτι κῆσαυτόν μοι προσοφείλεις.

Quòd si quid læsit te, aut debet, hoc mihi imputato.

Ego Paulus scripsi mea manu, ego dependam: ut ne dicam tibi te etiam te ipsum mihi insuper debere.

1. Concedit, utique Onesimum in culpa esse, sicquæ satisfactionem debere, *ei δὲ 71, &c.*
2. Promittit ipse satisfactionem loco Onesimi, *Eγὼ, &c.*
3. Amplificat & explicat hanc satisfactionem singulari modo, quo totam rem conscientia Philemonis insinuat & committit, *ἵνα μὴ λέγω, &c.*

D. Apostolus sic vult argumentari: Si habes in manu tua chirographum meum, in quo promitto solutionem, non habes cur dubites de solutione debiti; Jam autem habes tale, &c. Ergo.

Unum in hisce verbis præcipuè est notandum, quòd Apostolus maneat in terminis generalibus, nec narret, quid illud sit, quod Onesimus Philemoni furto abstulerat, vocans id in genere *injuriam & debitum*, non crudè *furtum*; aliàs videretur non fuisse levis momenti culpa, prout, prohdolor! nimis notum, servos sæpe esse infidos, magistris suis damnum inferentes, & postmodum aufugientes, &c. Videtur Philemon huic servo multa concredita voluisse, eumquæ dispensatorem domûs fecisse, unde notitiam habuit rei familiaris potiùs quàm Philemon, & dubio procul non effugisset, si quid leve abstulisset, nec Paulus tam seriò rem egisset, nisi de re gravis momenti ageretur: sed jam his omnibus posthabitis, quia Onesimus revera conversus, & Paulus hujus certus est, hoc non in specie, nec crudè nominat, sed quàm lenissimè, *ei δὲ 71, &c.* prout antea fugam ejus vocavit *separationem ad horam, &c.* unde hæc fluit obsecuratio.

Δ. *Lapsus hominum verè ad Deum conversorum non austeris & rudibus verbis allegandos & refricandos, sed lenibus verbis ad edificationem spectantibus.* Cùm videmus unum vel alterum ex fratribus & sororibus nostris lapsum transgressione, at revera conversum, horum talium vulnera sananda; prout medici oleo, sic nos Evangelio mederi debemus, non semper dura de eis loqui, lapsus exaggerandi.

DOCTRINA.
N. A.
Lapsus re-piscantium non sunt o-dicis ver-bis exaggerandi.

Exordium.

DII. *Res timida est improbitas teste proprio condemnata, & semper res graves præsumit dum constringitur conscientia.* Sap. 17: 11. Sic docet experientia, quod improbitatis sibi conscius timore constringatur unde quaque. Sic docet exemplum Onesimi nostri, qui ob perpetrata crimina adeò erat timidus, ut redire ad Dominum suum sine ipsius Pauli deprecatione præsumere noluerit: Duorum enim criminum sibi conscius & reus fuit, *Fuga, & Furti.* Paulus hætenus plurimis argumentis primum crimen abstergere conatus fuit; Jam progreditur ad mitigationem secundi, & argumentis Philemonem urget ad condonandum Onesimo.

Sicquæ hætenus consideravimus illa argumenta D. Pauli, quæ produxit

- I. Ex parte *Onesimi,*
- II. Ex parte *Pauli* ipsius,
- III. Ex parte *Dei,* ejusque providentiæ.

Superest quartum & ultimum Argumentum principale, desumptum

IV. Ex parte *debiti,* quod Onesimus debebat, eoque allaborat Paulus, ut hoc debitum & illata injuria obstaculo non sit, quò minus Onesimus recipiatur, & in gratiam Domini sui restituatur, *Text. Eι δὲ 71 ἡδίκησέ σε, &c.*

Potuisse Philemon Apostolo ad ea argumenta, quæ attulit, regerere, &c. Urges multis receptionem servi fugitivi, at quis mihi reddet quod abstulit, quis damnum resarciat? Adhæc id agendum ut puniatur, & mihi satisfiat. Huic objectioni obviam it Apostolus præfenti